

Franckesche Stiftungen zu Halle

Censorii Iudicii, Vltimi Lvstrationis Anniversariae Illvstris Gymnasii Gothani Actvs, Initia, dedicanda publicis sermonibus trium Classis Selectae ...

Vockerodt, Gottfried

[Gotha], 1720

VD18 13388991

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)





129 D:8

28 CENSORII IVDICII,
ULTIMI
LVSTRATIONIS ANNIVERSARIAE
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
ACTVS, INITIA,

dedicanda publicis sermonibus trium CLASSIS SELECTAE alumnorum:
quorum primus,

GEORGIVS MELCHIOR GOERING, GOTHANVS,
*de studiis, & linguis sacris a nobilibus alumnis non repudiandis,
sub exemplo Ioachimi a Beust.*

alter,

CASPARVS HERMSTEDT, GOTHANVS,
*de legitimis studiorum politicorum initiis, sub exemplo tam eruditi, quam
pii ICTI, Brunnemanni, non temere desultoriae leuitatis accusandi,
quod a sanctiore litteratura ad iuris studia transierit:*

postremus,

IOBVS FRIDERICVS MULLER, REINHARDIFONTANVS,
*de causis, & damnis erroris, & vulgaris praeiudicii, quo sacra studia in
viris nobilibus, & politicis, tanquam aliena, & superuacua, damnan-
tur, hique ab omni religionis cura immunes redduntur,*
quisque pro captu suo, perorabunt:

indicit

RECTOR,
GOTHOFREDVS VOCKERODT,

differitque

de

*sanctioris litteraturae usu, & cultu in scholis urgendo,
ac omnis ordinis, & conditionis alumnis inculcando.*



Inspectae sunt in publica pietatis, & litterarum officina docentium, discen-
tiumque operae: perspectum, & explo-
ratum est, quicquid ex tabulis exhibitis,
scriptis propositis, datisque ex tempore
responsis de ingeniorum, & morum ra-
tione, studiorumque progressione potuit
indagari. Certe accesserunt sanctiorum curiarum proceres
ad omnes subselliorum ordines, & nihil intactum, intentat-
umque reliquerunt, vnde docendi, & discendi processus, &
successus possent apparere. In secessu, quod superest, & re-
motis arbitris discen- tibus, agitari conuenit, & constitui, quis
inposterum debeat esse discipulorum ordo? qui inter nouas
colonias, ad altiores subselliorum gradus prouehendas, co-
optari mereantur? quae censorii iudicii autoritate inducen-
dae sint operarum, laborum, stationum, subsidiorum, & in-
strumentorum vicissitudines, & commutationes, aptae, & ac-
commodatae magistrorum ingeniis, studiis, aetati, valeru-
dini? quemadmodum corrigendae perturbationes ordinis,
& disciplinae? huius impedimenta tollenda? adiumenta
tempestiue quaerenda, & arripienda? sananda boni moris
offensio? componenda dissidia, & remouendae simultatis caus-
sae? amplectendum, & conseruandum certum, exploratum, &

& perpetuum remedium morborum scholasticorum omnium, vnicumque subsidium in doctrinae, morumque corruptelis sanandis, profligandis, & excludendis in posterum, impensum videlicet, & religiosum sanctioris litteraturae studium, & indefessa ad curam, culturamque bonae mentis, doctrinae integritatem, morumque sanctitatem pertinentia exercitia, & instituta religiosa, horum tempora, loca, modus, captui iuuentutis accommodatus, vsui moris sancti, & religiosi inculcandi aptus, & non contrarius decori ordinis ecclesiastici vniuersi.

Meliora, & sanctiora haec instituta scholastica, vix est, qui videre se, & probare non profiteatur verbis, vel negare audeat, a loue & in scholis principium esse faciendum; pietatemque ad scholasticam institutionem non minus, quam ad omnia, vtilem esse. Ad rem autem cum venit, multorum non solum mens sensusque repugnat; sed non desunt, qui oppugnant non dissimulate impensius in scholis sanctioris litteraturae studium, & crebriora exercitia pia. Nec contendere videntur sine ratione, non virorum sacerdotum modo, & ludimagistrorum seminaria esse scholas; sed ad omnem vitae humanae cultum, ordinem, & decus, ad munera ciuilia, militaria, domestica erudiendos esse pueros: non detorquenda esse intempestiue horum ingenia a liberalium artium tirociniis, & humanioris litteraturae studiis ad illa seueriora: non excutiendam hoc pacto tenerae aetati hilaritatem naturalem, & incutiendam temere tristitiam, & vecordiam, vtpote nondum capaci meditationis tam sublimis, & arduae, nec propositi deliberati, & constantis; atque ideo citius impellendae in fictum, & simulatum moris externi tristioris habitum, vel hypocrisin, & auferendae ad animi intemperiem, quam prouocandae ad suscipiendam vltro, & bona fide bonae, sanctaeque mentis culturam, ex diuinorum

oraculorum praescripto: haec rectius tradi aetati confirmatae; idque per ecclesiae potius doctores, quam ludorum scholasticorum magistros. Nec desunt inter parentes, qui bonos se satis generasse, vel domi efficere posse praecepto, & exemplo confidunt; voluntque a scholasticis doctoribus doctos magis fieri suos, quam probos.

Inrita est mortalium ingeniis haec vitiositas: de nulla re magis securi sunt, quam de bona mente. Dum vota, cum victimis nuncupata, scripta sunt, veteres observarunt, pro aliis rebus omnibus magis, quam pro bona mente, vota fieri. Ad aliud tempus, & extremam aetatis partem ista desideria, & cogitationes reiicere, solenne est plerisque. Quibus tyrannis, barbaris tortoribus, & carnificibus similes esse videntur ludimagistri, qui intempestive ista urgere, & extorquere velint disciplinae lege. Iudiciorum peruersitati accedit, & suffragatur consuetudinis deprauatio, nisi publica & imperantium intercefferit autoritas, sub sanctiora scholastica instituta cogens popularem licentiam, prouidensque, ne prauis parentibus vitiosior euadat progenies. Et sane ille magistratus pie, & religiose ius, quod habet in scholas, exercet, qui pietatis, & sanctioris litteraturae has facit officinas. Emollit quidem mores, nec prorsus feros finit esse pueros, didicisse fideliter artes humanas, & liberales: ferocientesque utcumque mitigat ferula, efficitque ciues tolerabiles. Isto pacto qui corriguntur in scholis, regi posse in ciuitate, documento fuerunt exempla multarum rerum publicarum, satis pacatarum, in quibus admissa est publica cultus humani disciplina, & ituentus coacta est sub civilis ordinis legem. Rectius autem huic, & reipublicae consulitur, si non defuerint instituta sanctiora, offerentia maturam bonae mentis culturam, & suppeditantia remedia sana, opportuna, & explorata labis, & vitiositatis intestinae: non ferulam solum, & verbera,

bera; sed salutifera verba de gratia castigante, & reuocante ab improbis moribus, & huius seculi voluptatibus. Talia instituta dudum introduxisse in ILLVSTRE Gymnasium Gothanum, vt gloriosum fuit pijs conditoribus, SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ maioribus: ita nec EVNDEM pigere potest, illa conseruare, & amplificare: nec pigebit ciues, vel exteros, sub vmbra, & clementia tam BONI, PIIQUE PRINCIPIS suos custodiri, & rectoribus studiis imbui, habilesque, & aptos ad summa reipublicae, & ecclesiae munera effici posse.

Non vecordes, & ad ardua munera inhabiles reddere impensum, & religiosum sanctioris litteraturae studium: quod profanus litterio, & apostata, Iulianus, diuina oracula, Christi, & apostolorum placita legentibus exprobrare solebat: vel huius tyranni tempore maxime florentes diuinarum litterarum scientia, & rerum agendarum celebritate, viri summi, satis demonstrabant: nec parum pigebat tyrannum, refelli iudicium suum de litteratura sanctiore ipsorum condiscipulorum suorum, Basilii, & Nazianzeni, exemplis: quos nemo vecordes esse iudicabat; quamuis diuinis litteris impense essent addicti. Et quomodo desipere posset diuinis plenus litteris, atque ex his sibi repraesentans, quod per tot retro secula, a rerum humanarum primordiis bene, vel secus dictum, factum, praeceptum, vel prohibitum, laudatum, vel reprehensum, pensatumque praemiis, vel poenis; atque captans ex tot, tamque illustribus casibus rerum agendarum, fugiendarum ueritatem. Quod si historia principum schola, iudice Boeclero, & legitima prudentiae ciuilis officina est: facile intelligitur in diuinarum litterarum monumentis tot mille annorum verissime, & sapientissime scriptam historiam praecipuum prudentiae, & solidae eruditionis vniuersae subsidium esse, non inspiciendum obiter, & tractandum perfun-

etorie, vel pro otio saltem, & libidine, ab iis, qui inter eruditos nomen, locumque voluerint retinere.

Quandoquidem autem ea diuinarum scripturarum est indoles, vt, nisi sensu interiore, & vsu cognoscantur, facile fastidiantur: religiosa pietatis exercitatio accedat, oportet, & precandi, pieque meditandi assiduitas, qua insito diuinis scripturis lumine illustrata, & exercita mens humana incite-
tur ad concupiscendum res in illis propositas. Alias vix detinebitur diu in peruestigandis diuinis monumentis, & haec perdiscet: vel sine pio affectu lecta male intelliget, nec vsurpabit rectius. Infantis scientiae pars quamdiu diuinarum litterarum cognitio est, litterator biblicus Christi aduersariis in legis, & prophetarum scriptis versatissimis, non est melior; nec minus profanus, quam litterator Homericus, Ciceronianus, vel Virgilianus: vt plurimum autem vehementior osor, & insectator genuinorum sanctioris litteraturae studiorum, vrgentium, & commendantium pia cum lectione exercitia. Haec dum intercedunt prauis discipulorum studiis, docentiumque animos, & destinata coniungunt ad vsum discipulorum salutarem vnice curandum, aemulationis impetus ferociore, & bonis moribus contrarios corrigunt, obstantque, quo minus discordia operas scholasticas possit perturbare, non est obscurum, quam pulchrum, quam necessarium illa sint scholasticae institutionis, & solidae eruditionis subsidium. Quae cum introduci voluisset in ILLVSTRE Gymnasium Gothanum PIVS ERNESTVS; retineri autem, & continuari voluit SERENISSIMVS PATRIÆ PATER, FRIDERICVS: optime hic consuli potest discipulis; dabitque & in posterum pietatis officina FRIDERICIANA, quales dudum dedit ERNESTINA. In hac quodcum pluribus saeculi nostri luminibus defudauit, & inter pietatis, & solidae eruditionis exercitia adoleuit ILLVSTRIS ILGENIVS, quanti PRIN-
CI-

CIPIS quantus minister? quantus assertor euangelicae libertatis? quod publice acta satis loquuntur: nondum desit recordari, nec sine voluptate recognoscere praeceptoris sui, B. Keyheri, posteros: quod curate & impense facere visus est, cum inter cumulatissima summi viri negotia non ita pridem Gothanae scholae mentio esset iniecta. Vel hoc exemplum satis ostendit, vbi pietati locus est, solida studia non exulare; ac pulchre conualescere, & efflorescere magna ingenia. Nec civilibus ministeriis minus aptos reddere, qui ipsi pene immergere se voverint sanctioribus litteris, atque has tractare quasi ex instituto, facti piis non minus, quam politicis scriptis clarissimi viri, Seckendorffius, Ludolphus, Pfannerus, Breithauptius, PII ERNESTI in re ecclesiastica, & scholastica constituenda administri, documento sunt. Ex FRIDERICIANA officina qui prodierunt, publicae, & ecclesiasticae rei vbi praesunt, prodesse, remque euangelicam ornare, & propagare inter externos, non est obscurum. Tales inde prodituros in posterum, nullum est dubium.

Pergit SERENISSIMVS nutritor fauere rectis, & piis studiis; perguntque sacrarum curiarum proceres providere, ne quid detrimenti capiat doctrinae, disciplinaeue integritas: nec recusant pro iuuentutis studiosae salute vllam laboris molestiam: effeceruntque coniunctis studiis, consiliis, operis, vt is esset status ILLUSTRIS Gymnasii Gothani, qui publicata vltima tabula est descriptus: non desinet igitur opportunum esse publice vtilium virorum seminarium.

In hoc lustrando opera vltima cum solenni ceremonia esset publicanda, & a publicis sermonibus censorii iudicii dies esset auspicandus, horum argumentum delectum est, quod & instituto conueniens, discentibusque penè necessarium videbatur, qui aduersus consuetudinis deprauationem,

nem,

nem, & publicorum morum labem fortius exemplis muni-
untur, quam legibus, & praeceptis; sperauique fore, vt omnes
intelligent, non temere in ILLVSTRI Gymnasio Gothano soli-
da litterarum studia cum piis exercitiis coniungi, cum idem
ab aliis praeclare factum recognoscant.

Adeste,

ILLVSTRIS GYMNASII PATRONI,
ET FAVTORES omnis ordinis,

congregamini frequentes,


incipiente hora VII. XII. Aug.

in auditorio CLASSIS PRIMAE,

& oratores, de re grauissima dicentes,
patienter, & beneuole audite!

P. P. GOTHAE, XI. AVGVSTI MDCCXX.

Litteris REYHERIANIS.



129 D:8

1018

